



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Approbatio Reverendi admodum Domini Marii Macchabei Procurat.
Generalis Congreg. Clericorum Regul. S. Pauli, S. Congreg. Indicis, & SS.
Rituum Consultor, ac S. Officii Qualificat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

A P P R O B A T I O

Reverendi admodum Domini Marii Macchabei Procurat. Generalis Congreg. Clericorum Regul. S. Pauli, S. Congreg. Indicis, & SS. Rituum Consultor, ac S. Officii Qualificat.

DE mandato R. P. Sac. Palatii Apostolici Magistri, attente vidi opusculum, cui titulus *De Cultu Sacrosancti Cordis Domini Deique nostri Jesu-Christi, ab admodum R. P. Josepho de Galliffet Societ. Jesu, Galliae Assistente compositum; necnon Exemplum fideliter exscriptum ex iis, quae jussu Patris sui spiritualis scripsit de vita sua ven. Mater Margarita Maria Alacoque Ordinis B. V. Mariae a Visitatione. nihilque quod fidei, aut bonis moribus nocere; plurimum quod virtuti, & perfectioni prodesse possit, in utroque reperi. Perhibet opusculum, laudati cultus originem, progressum, excellentiam, finem, & fructum. Perhibet exemplum praeclara virtutum monumenta, ad cultum erga sacratissimum Cor Jesu firmandum. Satisfaciet profecto utriusque operis materies, bonorum votis, qui appendentes munia pietatis, & cultum devotionis, ad pondus Sanctuarii, discent quam juste specialia suae Religionis officia huic sacro Cordi devoverint. Dediscent critici cultum hunc cavillis impetere, ne Cordi Jesu, amoris lanceam jamdudum propter eos vulnerato, novum vulnus apponant. Haurient omnes ab hoc sacratissimo Corde, eos confirmatae pietatis fructus, quos Sanctorum Chrysostomi, Isidori, Bernardi, &c. scripta testantur, si intima Cordis Jesu, toto sui Cordis affectu ingredi non detrectent. Ad hoc enim perforatum est latus tuum (ait D. Bernardus Jesum alloquens) ut nobis pateat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibi-*

*De Passione
Domini cap.
3.*

bile videamus. Hinc, ut pietas quæ ex Apostolo ad 1. ad Tim.
omnia utilis est, omnibus profit: Nedum, opusculum, quod c. 4.
ad promovendam devotionem & cultum erga Sacro-
sanctum Jesu Cor, solide scripsit Author; Verum et-
iam dictum exemplum, quod humilis servæ Dei obe-
dientia tanquam certum virtutis patrimonium posteris re-
liquit, in publicam lucem edi posse censeo. Ex Colle-
gio SS. Blasii & Caroli ad Catenarios de Urbe. Hac die
22. Aprilis 1726.

*Ego D. Marius Macchabei, Procurat. General.
Congreg. Cleric. Regular. S. Pauli. S. Congregat.
Indicis, & SS. Rituum Consultor, ac S. Officii
Qualificator.*

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Rever. Patri Magistro Sac. Palat. Apost.

N. Episcopus Bojanus Vicesger.

I M P R I M A T U R.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum
Sac. Palatii Apostolici Magister.